

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Diaria [i] De Bello Carolino

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

xime adhortor, quippe usui magno futurum græca discere cupientibus, tibi que immortalē gloriam pariturum. Mihi certe (quid enim dissimulem?) gratissimum facies. Nam cum te semper habuerim quasi eximium inter discipulos utriusque linguæ, meaque tibi in litteris etiam arcana retexerim, quod tu homo gratissimus libenter & proferis & prædicas; nimirum scilicet ad me quoque portio aliqua tuæ tantæ laudis redundabit. Hoc idem, puto, & Carolus ipse tuus Antenoreus honestus adolescens exoptat; ejusdem tecum laboris pariceps. Quid autem dixi tuus, ac non potius noster, quando utrique pariter operam dedit? Is enim quamvis acerrime nunc philosophetur, quoniam tamen peripateticus est, non stoicus, gloriam profecto aspernari linguæ ejus non potest, in qua cum paucis excelluit. Ede igitur bonis avibus operosissimum librum non latinis modo, sed etiam græcis (puto) epistolis sua discere volentibus profuturum. Mitto autem ad te Græcum quoque epigramma nostrum, quod nuper lusimus, ut (si tibi videbitur) in fronte ipsa operis imprimatur. Vale.



DIARIA [1] DE BELLO CAROLINO

Venetiis, MCCCCLXXXVI.

Alexander Benedictus [2] Veronensis Physicus, Augustino Barbado Illustrissimo Venetorum Principi S. perpetuam dicit.

BELLUM, quod hoc anno, Illustrissime Princeps, tuis sanctissimis auspiciis cum Carolo VIII. Gallorum Rege pro tuenda sociorum libertate gessisti, Francisco Gonzaga Marchione Mantuanorum, Imperatore tuo felicissimo, duobus duntaxat voluminibus, altero pugnam Tarrensem, altero Novariensem oppugnationem complexus sum: quibus diaria inscripsimus. Causam enim belli huius, & primum Galli adventum plerique copiosius scribere, quæ transcursa quadam delibavimus: reliqua quæ vidimus, vel quæcumque nobis tradita sunt, incorrupta protulimus. Nudam enim materiam, rudem ac pene indigestam inter annales tuos reponendam coacervavimus. Erunt ex posterioribus, qui collatis undique historiis, hanc simplicitatem nostram, quæ fortasse nunc fastiditur, quod ut arida & exanguis, suaviorem uberioremque reddent: quod inter veteres T. Livius miro successu eo modo adimplevit. Historia magnam quidem vitæ partem expostulat, in qua modus servandus est, ut veritas in primis, ordo, digestio belli, cause, consilia, conciones, rerum eventa, & totius belli progressus legentibus in promptu sit. Atque ipsa oratio non salebrosa, non languens, non nimium diffu-

[1] Historia scilicet Belli a Carolo VIII. gesti in Ducatu Mediolanensi adversus foederatos Principes Alexandrum VI. Pont. Max. Maximilianum Cæsarem, Venetam Republicam, & Ludovicum Sfortiam. Et si vero Typographi nomen desideretur, non desunt qui credant Diaria hæc ex Aldino Typographo prodisse.

[2] Sc. patria Lemniaco Agri Veronensis arce. Medicinam diu fecit, & præsertim apud Venetos Legatos, qui copiis adversus Carolum Regem, præferre. Plura de Anatome diserte conscripsit,

edita sub tit. *Historie Corporis Humani* ann. 1498. Plinium post *Barbarum* iterum emendare conatus est; ediditque Venetiis ann. 1507. Ejus opera quæ Medica tum philologica recenset peritularis Vir March. *Scipio Massius*, Veron. Illustr. To. III. pag. 129. quem vide. Si Mario Equicola fides sit adhibenda (qui ceterum nullo inicitur fundamento) *Benedictum* Audio partium abreptum, magis Venetorum gloriæ quam veritatis studuisse putabis.